

# Alcibiades I

Plato



**SOCRATES:** Fili Cliniae, admirari te arbitror, quod cum primus ipse omnium amare te coeperim, caeteris alienatis, solus in ista beneuolentia perseuerem: cumque amici reliqui frequentiori consuetudine tibi assidue molesti essent, ego tot annis ne compellarim quidem. Huius autem rei causa non humanum quippiam, sed vis daemonii repugnans quaedam fuit, cuius potentiam in sequentibus audies. Nunc vero cum non vltra repugnet, huc ita profectus sum. Spero autem nec in posterum nobis aduersaturum. Fere autem toto hoc tempore considerabam quo pacto erga tuos amicos te gereres. Qui quamuis multi atque superbi erant, nemo tamen illorum fuit, quin fastu abs te superatus abiret. Quam vero ob causam illos contempseris, explicabo. Ais enim te nulla in re hominibus aliis indigere, quippe quae tibi insunt, ita esse praeclara, vt nec ad corporis, nec ad animi bona cuiusquam egeas. Existimas te in primis procero atque decoro corporis habitu plurimum excellere. Et sane cuius perspicuum est, te minime mentiri. Strenuissimo praeterea genere ortum te praedicas in hac ciuitate Graecarum amplissima: ex paterno quidem genere amicos atque cognatos esse quam plurimos et optimos viros, qui tibi omnia cum opus fuerit, subministrare possint. Maternos quoque nec his inferiores, neque etiam pauciores. Sed multo maiorem iis omnibus auctoritatem afferre tibi ad res agendas Periclem Xanthippi filium, quem quidem pater tuus tutorem tibi fratrique reliquit, qui non in hac ciuitate solum quaecunque vult potest, sed in omni Graecia, et in multis etiam ac magnis barbarorum gentibus. Adderem quoque amplissimas tuorum diuitias, nisi te scirem in iis minime omnium gloriari: horum omnium causa fastu elatus, amicos omnes tuos edomui. Atque ipsi vtpote inferiores tibi cesserunt. Neque vero ista te latuere. Quamobrem satis scio admirari te, quo animo in beneuolentia tua perseuerarim, quamue spem de te conceperim, qui caeteris fugientibus ego omnium solus perstiti.

**ALCIBIADES:** At istud forte nescis, o Socrates, te nunc me paulo praeuenisse. Venerat enim in animum mihi, vt te prior adortus haec eadem te rogarem. Quidnam vis? Qua tandem spe mihi molestus es, qui semper vbicunque sum, accuratissime ades? Reuera enim quod sit consilium tuum admiror, illudque libenter audirem.

**SOCRATES:** Audies igitur hoc a me vt decet quam primum, siquidem vt ais nosse et audire desideras quid cogitem: ego enim tanquam expectanti et auscultaturo id referam.

**ALCIBIADES:** Et maxime quidem dicas modo.

**SOCRATES:** Vide itaque, neque enim mirum videri debet, si quemadmodum vix incepti, ita vix desinam.

**ALCIBIADES:** Age, dic modo, audiam enim.

**SOCRATES:** Dicendum est profecto. Difficile quidem est, cum eo qui amicorum nulli demittat se, consuetudinem inire. Audendum tamen, sententiaque mea exprimenda. Equidem, o Alcibiades, si te cognouissem iis rebus quas supra narrauimus esse contentum, vitamque in illis tuam transigere, dudum beneuolentiam erga te meam (sic enim mihi persuadeo) deposuissem. Nunc autem alias quasdam duas de teipso cogitationes indicabo tibi, vt intelligas ex quo semel tibi mente adhibui, quam nunquam destiterim. Videris mihi sane, si quis deus dixerit, o Alcibiades, Nunquid viuere vis ea sola possidens quae nunc habes? an statim obire, nisi praestantiora quaedam assequi liceat? mortem potius videris electurus. At vero qua nunc spe vitam agas aperiam. Putas enim si mox in Atheniensis populi concionem ascenderis, quod quidem paucos post dies futurum existimas, Atheniensibus demonstraturum te maiori dignum esse honore, quam aut Pericles sit, aut alius quisquam fuerit eorum, qui superioribus seculis floruerunt: quod si ostenderis, maximam te apud ciues tuos auctoritatem assecuturum. Atqui si plurimum hac in vrbe possis, omnium quoque Graecorum, atque etiam Barbarorum quicumque eandem quam et Graeci incolunt regionem, clarissimus sis: et si Deus idem imperium Europae concesserit, transire tamen in Asiam, et isthic imperium affectare vetuerit, nondum electurus mihi videris cum his solis vitam degere, nisi nomen tuum atque potentiam, vt ita dicam, per omnia hominum genera propagaris? Teque arbitror, praeter Cyrum ac Xerxem, neminem memoria dignum existimare. Quod igitur huiusmodi spe nutriris, non coniecto equidem, sed certo scies. Dices forte, vtpote conscius me vera dixisse: Quid haec, o Socrates, ad eam rationem quam assignare volebas, ob quam me nondum deseruisti? Dicam: o amice Cliniae et Dinomaches fili, has cogitationes tuas ad optatum finem perducere, absque me minime potes: vsque adeo in te ac tua negotia me posse confido. Quapropter Deum ipsum censeo non permisisse olim me tecum disserere: atque ego expectaui donec ille permitteret. Vt enim tu speras ciuitati tuae ostendere posse omni te apud eam honore dignum esse, atque his demonstratis nihil adeo magnum restare, quod non statim conficere possis: sic et ipse

plurimum apud te posse confido, quum primum ostendero cunctis me digniorem esse: nec tutorem, neque cognatum, neque alium quempiam praeter unicum me, Deo fauente, tibi eam potentiam quam desideras, traditurum. Quandiu igitur eras iunior, necdum in spem tantam veneras, mea quidem sententia, Deus tecum disputare prohibuit, ne frustra contenderem. Nunc vero impulit: nunc igitur ne audies?

**ALCIBIADES:** Longe mihi nunc mirabilior videris, o Socrates, postquam loqui mecum coepisti, quam dum tacitus me sequebaris: quanquam etiam tunc aspectu talis maxime videbare. vtrum igitur ego haec mente versarem necne, ita vt videtur pernouiisti, vt si etiam negem, nihil tamen ulterius proficiam suadendo: esto. Verum si haec ipsa maxime intendo, quonam modo per te consequar, nec sine te ista perficientur? potesne dicere?

**SOCRATES:** Interrogasne an prolixum sermonem incepturus sim, quales audire solitus es? Neque vero id mei moris est. Imo demonstrare tibi possum, vt arbitror, haec ita se habere, modo in hoc vno duntaxat mihi paulisper obsequi velis.

**ALCIBIADES:** Nisi durum obsequium est, volo.

**SOCRATES:** Num difficile tibi videtur ad interrogata respondere?

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Responde igitur.

**ALCIBIADES:** Interroga.

**SOCRATES:** An te interrogem tanquam ea quae cogitare te dixi, deliberantem?

**ALCIBIADES:** Esto si placet, vt tandem quid feras, videam.

**SOCRATES:** Age itaque, intendis enim, vt supra dixi, breui adire Atheniensem populum, aliqua de re moniturus. Si tibi igitur ad concionem ituro obuius, o Alcibiades, dicam, postquam Athenienses deliberare constituerunt, et tu deliberaturus surrexisti de eodem: vtrum de iis quae tu melius quam illi calles? quid responderes ad haec?

**ALCIBIADES:** Responderem sane de iis quae melius noui ego quam illi.

**SOCRATES:** Quae igitur nosti, de iis quoque es consultor bonus?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Nonne haec sola cognoscis, quae ab aliis didicisti, vel ipse per te inuenisti?

**ALCIBIADES:** Quae enim alia?

**SOCRATES:** Est ne aliquid quod didiceris, vel inueneris iam quondam quum inuenire vel dicere nolles?

**ALCIBIADES:** Non est.

**SOCRATES:** Nunquid voluisti vnquam inquirere siue discere quae scire putabas?

**ALCIBIADES:** Nunquam.

**SOCRATES:** Quae nunc scis, fuit quandoque tempus quando te ignorare putabas?

**ALCIBIADES:** Necesse est.

**SOCRATES:** Atqui quae didicisti, ferme et ipse cognoui: quod si quid me fugerit, dicas. Didicisti enim, vt memini, literas, citharam pulsare, palaestram: nam inflare tibias noluisti. Haec sunt quorum tu scientiam habes: nisi forte aliquid me inscio didiceris. puto autem nec noctu, neque diu exiisse te domo me inscio.

**ALCIBIADES:** Nullos praeterquam horum trium praeceptores audiui.

**SOCRATES:** An quoties Athenienses de literis consultabunt, quo pacto scribi debeant, ad consilium accedes?

**ALCIBIADES:** Non per Iouem.

**SOCRATES:** At quum de lyra pulsanda?

**ALCIBIADES:** Nullo modo.

**SOCRATES:** Neque de palaestris etiam in concione disceptare consueuerunt?

**ALCIBIADES:** Minime.

**SOCRATES:** Quando igitur, et qua de re consultabimus? non enim quum de aedificiis?

**ALCIBIADES:** Non certe.

**SOCRATES:** Aedificator enim melius quam tu consulat.

**ALCIBIADES:** Ita.

**SOCRATES:** Neque tamen quum de vaticinio disceptabunt.

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Fatidicus enim haec melius quam tu.

**ALCIBIADES:** Melius.

**SOCRATES:** Seu paruus, seu magnus, seu formosus, seu deformis, vel nobilis, vel ignobilis sit.

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Scientis enim esse arbitror, non diuitis, de vnoquoque consulere.

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Atque ideo seu diues sit, siue pauper ille qui monet, nihil intererit apud Athenienses, quando deliberabunt qua ratione ciues recte habeant, sed quaerent duntaxat vt medicus sit consultor.

**ALCIBIADES:** At merito.

**SOCRATES:** Quando igitur, et in qua deliberatione idoneus consultor eris?

**ALCIBIADES:** Quando de negotiis suis deliberabunt.

**SOCRATES:** An quum de re nauali quaerent, quales oportet naues fabricare?

**ALCIBIADES:** Non, o Socrates.

**SOCRATES:** Naues enim, opinor, aedificare nescis. Estne haec causa, an aliud quiddam? At vero de quibus eorum negotiis dicebas?

**ALCIBIADES:** Quum de bello, o Socrates, vel pace, aut alio quopiam ciuitatis negotio.

**SOCRATES:** Num dicis quum disputabunt quibuscum pax retractanda sit, et aduersus quos bellum gerendum, et quo pacto?

**ALCIBIADES:** Profecto.

**SOCRATES:** Oportet autem quibus operaepretium est haec indicare?

**ALCIBIADES:** His ipsis.

**SOCRATES:** Et tunc solum quando melius?

**ALCIBIADES:** Omnino.

**SOCRATES:** Atque tandiu quandiu praestat?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Si ergo quaerent Athenienses aduersus quos palaestra vel summis digitis reliquo corpore intacto, et quemadmodum certandum sit, ecquid ipse melius quam gymnasii magister consuleres?

**ALCIBIADES:** Gymnasii magister melius.

**SOCRATES:** Potes dicere quonam respiciens, ille admoneat quibuscum luctandum sit palaestra, vel non, et quando, et quo pacto? Sic dico, nonne cum iis certandum, quibuscum operaepretium est?

**ALCIBIADES:** Vtique.

**SOCRATES:** Et quantum praestat?

**ALCIBIADES:** Et quantum praestat.

**SOCRATES:** Et tunc quum melius?

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Quin etiam cantorem oportet pulsare citharam, et saltare ad cantilenam?

**ALCIBIADES:** Oportet.

**SOCRATES:** Nonne tunc quum est melius?

**ALCIBIADES:** Tunc certe.

**SOCRATES:** Et tantum quantum melius?

**ALCIBIADES:** Confiteor.

**SOCRATES:** Quid ergo, postquam quiddam vtrisque dixisti, et in citharae cantu et in palaestra, quid vocas in recto ad cantum sono melius? Nam ego quidem in palaestra gymnasticum voco. Tu autem quid?

**ALCIBIADES:** Haud intelligo.

**SOCRATES:** Sed conare me imitari. Equidem melius ipsum vocem ego, id quod per omnia recte habet. Recte vero se habet, quod secundum artem fit? Nonne?

**ALCIBIADES:** Idipsum.

**SOCRATES:** Nonne ars gymnastica?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Id sane quod melius in palaestra, vocaui gymnasticum.

**ALCIBIADES:** Vocasti quidem.

**SOCRATES:** An non recte?

**ALCIBIADES:** Mihi videtur.

**SOCRATES:** Age igitur, et tu, decet enim te quoque recte differre. Dic primum quae ars est, ad quam pertinet recte canere, sonare, saltare. Vniuersa haec ars quomodo nuncupatur? nondum potes exprimere?

**ALCIBIADES:** Nondum.

**SOCRATES:** Verum sic enitere, quaenam huius artis dea?

**ALCIBIADES:** Musasne, o Socrates, ais?

**SOCRATES:** Equidem. vide iam quodnam ab his cognomentum ars illa trahat.

**ALCIBIADES:** Musicam dicere videris.

**SOCRATES:** Dico vtique. Quid igitur est, quod secundum hanc recte fit? quemadmodum modo in illa iam arte quod tibi, quod secundum artem recte fieret, gymnasticum vocaui. Tu quoque in hac eodem modo melius quid vocas, et quomodo fit?

**ALCIBIADES:** Musicum mihi videtur, et musice.

**SOCRATES:** Bene dicis. age iam, bello melius et pace melius quid vocas? quemadmodum superius dixisti, in vnoquoque quid melius esset, ostendisti: in hoc quidem quod musicum magis, in illo vero quod magis gymnasticum. Conare in iis similiter quid melius pronunciare.

**ALCIBIADES:** Non habeo quid dicam.

**SOCRATES:** At vero turpe sit, siquis te de cibus asserentem, meliorem hunc illo esse, et quando, et quantus, mox si quis roget, quid melius ipsum, o Alcibiades, vocas? nihil habere quod respondeas, videlicet quod salubrius, quamuis te medicum esse non profitearis: in illo vero cuius te peritum esse gloriaris, et tanquam eruditus consultum surgis, deesse quod respondeas interrogatus. Nonne inquam turpe hoc est?

**ALCIBIADES:** Turpissimum.

**SOCRATES:** Considera itaque et conare nobis ostendere quorsum tendit melius in pace quibuscum oportet instituenda, et bello etiam contra quos oportet?

**ALCIBIADES:** Etsi quaero, nequeo tamen inuenire.

**SOCRATES:** Animaduertisti, quum bellum gerimus, quid sit quod inter nos accusantes ad bellum proficiscimur, et quomodo id cuius gratia suscipitur bellum vocemus?

**ALCIBIADES:** Animaduerti equidem ad arma nos prouocari, quum vel decepti, vel coacti, vel aliqua re spoliati sumus.

**SOCRATES:** Age, dicas quo differt pati illa hoc vel illo modo?

**ALCIBIADES:** Quum dicis hoc vel illo modo, idemne significas ac si diceres, iuste vel iniuste?

**SOCRATES:** Idipsum.

**ALCIBIADES:** Omnino quidem, et hoc totum differt.

**SOCRATES:** Aduersus quos vt bellum ineant Athenienses hortaberis? Aduersus iniuriosne an iustos?

**ALCIBIADES:** Durum est id quod interrogas: nam et si quis roget bellum aduersus eos gerendum, qui iustitiam colunt, non hoc tibi confitebitur.

**SOCRATES:** Non enim legitimum hoc, vt videtur.

**ALCIBIADES:** Minime, nec honestum quidem apparet hoc. Hic igitur tu de iusto verba facies. Necesse est.

**SOCRATES:** Aliudne igitur vt modo quaerebam, in bello gerendo aut non, et quibuscum oportet vel non, et quando oportet, vel non, melius est quicquam quam id quod est iustum magis.

**ALCIBIADES:** Hoc melius videtur.

**SOCRATES:** Vnum igitur o amice Alcibiades, te praeterit quod hoc ignoras: vel si me inscio ad praeceptorem profectus es, vnde diiudicare didiceris quid iustius, et quid iniustius, age et mihi illum ostende, vt ei me discipulum atque hospitem facias.

**ALCIBIADES:** Cauillaris, o Socrates.

**SOCRATES:** Non, per deum mihi et tibi amicum, quem iureiurando minime fallerem: sed si habes, dic quis est.

**ALCIBIADES:** Quid si non habeam? nonne putas aliter me iusta atque iniusta dignoscere posse?

**SOCRATES:** Imo, si quidem inueneris.

**ALCIBIADES:** An non censes inuenisse me?

**SOCRATES:** Et maxime quidem, modo quaesiuersis.

**ALCIBIADES:** Deinde non credis me quaesisse?

**SOCRATES:** Credo equidem, modo te ignorare putaueris.

**ALCIBIADES:** An fuit tempus, cum sic me non haberem?

**SOCRATES:** Bene dicis, sed potes assignare nobis id tempus, quando non rebaris te iustorum atque iniustorum cognitionem habere? age anno superiori quaesisti haec scire necne? et existimabas te scire necne? Ac vero responde, ne frustra disputatio instituat.

**ALCIBIADES:** Putabam scire.

**SOCRATES:** Tertio vero anno ante id tempus, et quarto, et quinto, nonne eodem pacto?

**ALCIBIADES:** Eodem.

**SOCRATES:** Atqui ante haec tempora eras puer, nunquid?

**ALCIBIADES:** Eram.

**SOCRATES:** Scio equidem te tunc nosse putauisse.

**ALCIBIADES:** Quomodo scis?

**SOCRATES:** Saepenumero te puerum audiui cum apud magistros, et alibi in calculorum iactu caeterisque puerilibus studiis exercereris, tanquam de iustis atque iniustis minime dubitantem: verum audacter loquentem de quocunque puero sermo incidisset, quod malus et iniustus esset, et iniuste ageret. Num vera loquor?

**ALCIBIADES:** Quid me oportebat facere, cum quis iniuria me afficeret?

**SOCRATES:** Tu vero si ignorans esses, siue iniuria inferatur, siue non, tum quid te facere oporteat quaeras?

**ALCIBIADES:** Per Iouem non ignorabam ego, sed plane intelligebam iniuriam mihi fieri.

**SOCRATES:** Ergo putabas etiam dum esses puer, iusta et iniusta dignoscere.

**ALCIBIADES:** Et sciebam equidem.

**SOCRATES:** Quo in tempore inueneras? Non enim in illo cum te scire credebas.

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Quando igitur haec ignorare putabas? Considera, non enim id tempus inuenies.

**ALCIBIADES:** Per Iouem, o Socrates, quod dicam non habeo.

**SOCRATES:** Non ergo per inuentionem ista cognoscis?

**ALCIBIADES:** Non videor.

**SOCRATES:** Sed paulo ante neque per disciplinam etiam percepisse dicebas. quod si nec inuenisti neque didicisti, quonam pacto, et vnde tenes?

**ALCIBIADES:** Forte haud recte respondi, cum scire me per inuentionem asserui.

**SOCRATES:** Id vero quo pacto habet?

**ALCIBIADES:** Didici ipse quoque vt arbitror, quemadmodum caeteri.

**SOCRATES:** Rursus in idem relabimur: dic mihi enim a quo didicisti.

**ALCIBIADES:** A vulgo.

**SOCRATES:** Non ad probatos refugis praeceptores, cum ad vulgus te refers.

**ALCIBIADES:** An non sufficiunt ad docendum etiam hi?

**SOCRATES:** Ne ea quidem quae talarem ludum attinent, aut non attinent: etsi viliora haec sunt, quam iusta. An non sic tu quoque putas?

**ALCIBIADES:** Puto.

**SOCRATES:** Ergo maiora docere possunt, viliora non possunt?

**ALCIBIADES:** Arbitror equidem. Enimuero multa docere possunt meliora ludo talari.

**SOCRATES:** Quaenam ista?

**ALCIBIADES:** Vt est Graece loqui. Ab iis enim didici, nec praeceptorem vllum habui praeter istos, quos tu magistros haud satis probatos esse dicebas.

**SOCRATES:** O genere, huius quidem rei vulgares homines idonei praeceptores sunt, et merito in hac doctrina laudantur.

**ALCIBIADES:** Cur?

**SOCRATES:** Quoniam habent quod bonos decet praeceptores habere.

**ALCIBIADES:** Quid hoc?

**SOCRATES:** Nonne scis oportere eos qui aliquid docturi sunt, prius quam doceant, intelligere? nunquid?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Et cum intelligant, consentire sibi neque diffidere?

**ALCIBIADES:** Ita.

**SOCRATES:** In quibus vero igitur dissentiant, ea scire illos dicamus?

**ALCIBIADES:** Minime.

**SOCRATES:** Horum ergo quomodo boni essent magistri?

**ALCIBIADES:** Nullo modo.

**SOCRATES:** Videreturne tibi dissentire multitudo, siquando interrogetur quid lapis, et quid lignum? an non idem fatentur, in idemque feruntur omnes, cum lignum volunt aut lapidem capere? atque eodem pacto in cunctis huiusmodi? Intelligo enim ferme per Graece scire, hoc te significasse, nonne?

**ALCIBIADES:** Significaui equidem.

**SOCRATES:** Atque idcirco in iis nonne conueniunt, vt diximus, et priuatim et publice ciuitates inuicem, neque dubitant, hae quidem hoc, hae vero aliud quiddam vocantes?

**ALCIBIADES:** Non dubitant.

**SOCRATES:** Merito ergo istorum idonei praeceptores essent.

**ALCIBIADES:** Nempe.

**SOCRATES:** Itaque si quidem in his vellemus eruditum euadere, recte hunc in doctrinam multitudinis mitteremus.

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Si autem nosse vellemus non modo qui homines et qui equi sunt, verumetiam qui ex illis maxime cursu valeant, et qui non, nunquid vulgus erudire poterit?

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Sufficiens haec tibi coniectura erit, quod nec sciant vulgares omnes, neque apti horum praeceptores sint, quoniam de iis inter se nequaquam conueniunt.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Si nosse cupiam non tantum qui sint homines, sed qui valeant, qui aegrotent, nunquid multitudo docebit?

**ALCIBIADES:** Non.

**SOCRATES:** Multitudinem haec docere non posse facile aduerteris, si discordes opiniones consideraueris.

**ALCIBIADES:** Sane.

**SOCRATES:** De iustis autem hominibus atque iniustis, multitudo secum ipsa sibi consentit?

**ALCIBIADES:** Minime per Iouem, o Socrates.

**SOCRATES:** At in iis magnopere discrepat?

**ALCIBIADES:** Summopere.

**SOCRATES:** Arbitror nec vidisse te vnquam, nec audisse homines de sanis et aegrotis inter se adeo dissentire, vt ob ista bellum gererent, seque inuicem interimerent.

**ALCIBIADES:** Nunquam.

**SOCRATES:** Caeterum de iustis atque iniustis quam acriter dissentiant, et si ipse, vt arbitror, non vidisti: audisti tamen cum ex aliis multis, tum etiam ex Homero: nam Odysseam atque Iliada audiui.

**ALCIBIADES:** Omnino, o Socrates.

**SOCRATES:** Nonne igitur haec omnia poemata sunt de iusti atque iniusti discrimine?

**ALCIBIADES:** Sunt.

**SOCRATES:** Pugnaeque et interitus ob eandem profecto dissensionem inter Achiuos Troianosve fuerunt, eademque ratione inter procos Penelopes et Vlysem.

**ALCIBIADES:** Vera refers.

**SOCRATES:** Reorque et inter Athenienses, Lacedaemonas, atque Boeotios, qui prius in Tanagra, deinde in Coroniam perierunt, ubi etiam pater tuus Clinias oppetiit, nulla de re quam de iusti, iniustive differentia pugnam illam acerbissimam extitisse.

**ALCIBIADES:** Vera loqueris.

**SOCRATES:** Eos itaque dicemus illa sciuisse de quibus tam acriter concertarunt, ut de iusto et iniusto altercantes omnia extrema subierint?

**ALCIBIADES:** Non videtur.

**SOCRATES:** Ergo ad eos praeceptores te refers, quos ipsemet ignorare consentis?

**ALCIBIADES:** Videor.

**SOCRATES:** Quonam pacto conueniens est te iusta et iniusta cognoscere, in quibus sic aberras, nec didicisse ab aliquo videris, neque per te etiam inuenisse?

**ALCIBIADES:** Ex iis quae tu dicis, non est consentaneum.

**SOCRATES:** Vides iterum Alcibiades hoc te non recte dixisse.

**ALCIBIADES:** Quid?

**SOCRATES:** Quod me aiebas haec dicere.

**ALCIBIADES:** Quid non tu dicis, me iusta et iniusti ignarum esse?

**SOCRATES:** Nequaquam.

**ALCIBIADES:** Egone igitur?

**SOCRATES:** Tu inquam.

**ALCIBIADES:** Quonam modo?

**SOCRATES:** Sic intelliges, si te interrogem utrum vnum aut duo plura sint, plurane dices vnum, an duo?

**ALCIBIADES:** Duo.

**SOCRATES:** Quanto?

**ALCIBIADES:** Vno.

**SOCRATES:** Vter igitur nostrum est, qui dicit duo vno plura quam vnum?

**ALCIBIADES:** Ego.

**SOCRATES:** Ego igitur interrogabam, tu respondebas?

**ALCIBIADES:** Ita.

**SOCRATES:** De iis ergo vter nostrum dicere videtur, num ego interrogans, an tu respondens?

**ALCIBIADES:** Ego.

**SOCRATES:** Quid autem si quaeram quot sunt in Socrate literae, tu vero respondeas, vter nostrum erit qui dicet?

**ALCIBIADES:** Ego.

**SOCRATES:** Age dic vno verbo, quoties interrogatio fit atque responsio, vter est qui dicit: interrogasne an respondens?

**ALCIBIADES:** Respondens, mihi videtur, o Socrates.

**SOCRATES:** Ego in superioribus semper interrogavi.

**ALCIBIADES:** Semper.

**SOCRATES:** Tu vero respondisti?

**ALCIBIADES:** Respondi.

**SOCRATES:** Quae igitur dicta sunt hactenus, vter nostrum dixit?

**ALCIBIADES:** Ex iis quae concessa sunt ego dixisse videor.

**SOCRATES:** Nonne dictum est, quod Alcibiades pulcher Cliniae filius iustorum atque iniustorum inscius, se scire putabat, eratque concionem Atheniensium aggressurus, ea consulturus quae nesciret: Sunt haec vera?

**ALCIBIADES:** Sunt.

**SOCRATES:** Euripidis illud nunc nobis o Alcibiades occurrit. Abs te quippe ista videris audisse non a me. Neque ego haec, sed tu dixisti: me autem frustra accusas.

**ALCIBIADES:** Et profecto bene dicis.

**SOCRATES:** Furiosum enim quiddam aggredi, o vir optime, statuisti, docturus illa quae nec scias neque discere cures.

**ALCIBIADES:** Reor, o Socrates, Athenienses et alios Graecos raro quanam iustiora, quaeue iniustiora sint, quaerere. talia enim putant esse perspicua. his igitur omissis, quae conducant agentibus, inquirunt. Neque enim eadem esse iusta et vtilia puto, quin multis iniuste agentibus iniustitia profuit: alios contra iuste agentes nil ipsa iustitia iuuat.

**SOCRATES:** Quid igitur si vel maxime diuersa, alia quidem iusta sunt, alia vero vtilia, an tu rursum scire te putas quae vtilia sint hominibus, et quam ob causam?

**ALCIBIADES:** Et quid prohibet, Socrates? nisi rursus exquiras a quo didicerim, aut quomodo ipse inuenerim.

**SOCRATES:** Vide quid agas, quod non recte dicis, cum possit id ostendi per eandem rationem qua superiora, ipse tamen noua quaedam existimes audienda, nouasque demonstrationes in medium adducendas quasi priores sint instar apparatusum atque vestium quibus in scena vtuntur contritae, quibus quidem tu non amplius induaris, nisi quis aliud quiddam purum immaculatumque afferat. Ego autem missa faciens sermonis tui praeludia, nihilominus interrogabo, vnde vtilia haec esse didiceris, et quis magister fuerit, et reliqua cuncta quae prius vna interrogatione requiram. Verumtamen eodem, vt arbitror, reuolueris, neque ostendere poteris vtilia, disciplinane an inuentione cognoueris. Quando vero adeo delicatus es, vt non libenter sermonem eundem gustaturus videare: hoc quidem mitto, norisne an non, quid vtile, quidve inutile Atheniensibus sit. Vtrum autem eadem sint iusta et vtilia, an diuersa, cur non demonstras, aut ipse me interrogans, vt ego te, aut si ita placet, oratione perpetua vtens?

**ALCIBIADES:** Haud scio, o Socrates, an aduersus te disputare valeam, necne.

**SOCRATES:** At o bone vir, concionem me in praesentia, populumve esse puta: nonne illi te vniciue persuadere oportebit?

**ALCIBIADES:** Oportebit.

**SOCRATES:** Nonne eiusdem est posse et vni seorsum aliquid, et multis simul eorum quae nouit, demonstrare? Sicut grammaticus vnum pariter in literis ac multos erudit.

**ALCIBIADES:** Est.

**SOCRATES:** Et in numeris eodem modo quis poterit vni ac multis ostendere?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Hic autem est arithmeticus.

**ALCIBIADES:** Est.

**SOCRATES:** Et tu ergo quae pluribus, eadem vni persuadere potes.

**ALCIBIADES:** Consentaneum est.

**SOCRATES:** Sunt autem haec videlicet quae cognoscis.

**ALCIBIADES:** Profecto.

**SOCRATES:** Hoc vero duntaxat differt rhetor qui apud populum loquitur, ab eo qui in huiusmodi congressu: quod ille simul vniuersis, hic seorsum singulis persuadet.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Age cum eiusdem esse appareat multis atque vni ostendere, meditare nunc coram me, atque enitere, vt ostendas mihi quod iustum est, aliquando non prodesse.

**ALCIBIADES:** Contumeliosus es, o Socrates.

**SOCRATES:** Nunc per contumeliam demonstraturus sum tibi contraria eorum quae tu mihi non vis.

**ALCIBIADES:** Dic.

**SOCRATES:** Responde modo interroganti.

**ALCIBIADES:** Minime, sed tu ipse dicas.

**SOCRATES:** Nonne vis quam maxime persuaderi?

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Si dixeris haec ita se habere, an non eris maxime persuasus?

**ALCIBIADES:** Mihi quidem videtur.

**SOCRATES:** Responde igitur: nam nisi a teipso audieris iusta omnia vtilia esse, alteri dicenti ne credas.

**ALCIBIADES:** Non credam: sed iam respondendum est: nihil enim periculi esse existimo.

**SOCRATES:** Vates profecto es, verum dic. Iusta omnia conferre asseris, an quaedam minime?

**ALCIBIADES:** Assero.

**SOCRATES:** Quid autem? horum partim esse pulchra, partim contra?

**ALCIBIADES:** Quomodo hoc interrogas?

**SOCRATES:** Vtrum quispiam tibi aliquando visus sit turpia quidem facere, sed tamen iusta?

**ALCIBIADES:** Mihi nunquam.

**SOCRATES:** Omnia itaque iusta etiam pulchra.

**ALCIBIADES:** Ita.

**SOCRATES:** Rursus pulchra vtrum omnia bona, an partim bona, partim mala?

**ALCIBIADES:** Arbitror equidem o Socrates, nonnulla ex pulchris mala esse.

**SOCRATES:** Et turpia quaedam bona?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Nunquid tale quiddam dicis, perinde ac si nonnulli, dum in praelio amico vel propinquo cuidam opem ferre vellent, vulnerati perierint: qui vero auxilium cum debuissent, non tulerunt, incolumes discesserint?

**ALCIBIADES:** Et maxime quidem.

**SOCRATES:** Nonne auxilium huiusmodi pulchrum appellas, vbi quis seruare conatur quos oportebat? eaque fortitudo est?

**ALCIBIADES:** Profecto.

**SOCRATES:** Malum vero vocas ob interitus ac vulnera, nunquid?

**ALCIBIADES:** Voco.

**SOCRATES:** An non est aliud fortitudo, aliud mors?

**ALCIBIADES:** Aliud.

**SOCRATES:** Non ergo secundum idem pulchrum simul ac malum est, amicis opem ferre.

**ALCIBIADES:** Non videtur.

**SOCRATES:** Vide itaque vtrum qua ratione pulchrum, etiam bonum sit: quemadmodum in iis. quia enim forte concedis pulchrum esse auxilium ferre. Ipsa autem fortitudo bonumne an malum? Sic vere considera, vtra eligeres adesse tibi, bona an mala?

**ALCIBIADES:** Bona.

**SOCRATES:** Nonne maxima bona maxime optares?

**ALCIBIADES:** Maxime.

**SOCRATES:** Ac minime omnium his priuari velles?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Quid de fortitudine dicis? quanto illam pretio commutares?

**ALCIBIADES:** Ne viuere quidem vellem, si timidus essem.

**SOCRATES:** Extremumne malum tibi videtur esse timiditas?

**ALCIBIADES:** Mihi vero.

**SOCRATES:** Aeque ac mori, vt apparet.

**ALCIBIADES:** Aeque.

**SOCRATES:** Morti atque timiditati vita et fortitudo contraria sunt.

**ALCIBIADES:** Sunt.

**SOCRATES:** Et haec quidem maxime optares adesse tibi: illa minime?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** An non ex eo quod haec optima, illa pessima esse censes?

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Igitur auxilium ferre amicis in praelio, pulchrum quidem vocabas secundum boni, id est, fortitudinis actionem.

**ALCIBIADES:** Videor sane.

**SOCRATES:** Secundum vero actionem mali, id est, mortis, malum.

**ALCIBIADES:** Mihi quidem videtur.

**SOCRATES:** An non congruum est, sic vnanquanque actionem denominare? si enim ea prout malum fert, mala appellas, contra, prout fert bonum, bona vocare decet.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Nonne etiam qua bonum, pulchrum: qua malum, turpe?

**ALCIBIADES:** Maxime.

**SOCRATES:** Cum ergo dicis auxilium ferre amicis in bello, pulchrum esse, sed malum: perinde est ac si dicas, ipsum bonum quidem, malum tamen.

**ALCIBIADES:** Vera mihi dicere videris, o Socrates.

**SOCRATES:** Nihil igitur pulchrum quatenus Pulchrum malum est, neque turpe quicquam quatenus Turpe bonum.

**ALCIBIADES:** Non videtur.

**SOCRATES:** Praeterea hunc in modum considera, quisquis pulchre agit, nonne bene agit?

**ALCIBIADES:** Vtique.

**SOCRATES:** Bene autem agentes, nonne felices?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** An non felices propter bonorum possessionem?

**ALCIBIADES:** Maxime.

**SOCRATES:** Acquirunt autem haec ex eo quod pulchre ac bene agunt?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Igitur bene agere bonum.

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Nonne pulchrum actio bona?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Idem itaque rursus apparet nobis pulchrum ac bonum.

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** Quicquid igitur inuenimus pulchrum esse, idem quoque bonum existere hac ratione reperiemus.

**ALCIBIADES:** Necesse est.

**SOCRATES:** Bona autem conferunt necne?

**ALCIBIADES:** Conferunt.

**SOCRATES:** Meministi quid supra de iustis confessi simus?

**ALCIBIADES:** Reor iusta agentes necessarium esse pulchra facere.

**SOCRATES:** Pulchra vero agentes, nonne etiam bona?

**ALCIBIADES:** Ita.

**SOCRATES:** Et bona prodesse?

**ALCIBIADES:** Penitus.

**SOCRATES:** Iusta igitur, o Alcibiades, vtilia sunt.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Haec nonne ipse dixisti, ego autem interrogaui?

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** Si quis igitur surgat Atheniensibus vel Peparethiis consulturus putans iusta se et iniusta dignoscere, dicatque scire se iusta interdum esse mala, nonne ipsum irrideres, cum tu asseras eadem iusta et vtilia esse?

**ALCIBIADES:** Per deos o Socrates, quid dicam nescio, sed absurdo quodam modo habere me videor. Nam et alia videntur mihi interrogante te, et nunc alia.

**SOCRATES:** Ignoras, o amice, quaenam haec affectio sit?

**ALCIBIADES:** Ignoro.

**SOCRATES:** Siquis te interrogasset duosne an tres oculos habeas, manusve duas an quatuor, aut aliud quiddam huiusmodi, putas illi te nunc hoc, nunc illud, an idem semper responsurum fuisse?

**ALCIBIADES:** Et si de me ipso iam vereor, puto tamen eadem responsurum esse.

**SOCRATES:** An non huius causa est, quia cognoscis?

**ALCIBIADES:** Arbitror.

**SOCRATES:** De quibus igitur inuitus contraria respondes, constat illa te ignorare.

**ALCIBIADES:** Consentaneum est.

**SOCRATES:** Nonne circa iusta et iniusta, pulchra et turpia, bona et mala, vtilia et inutilia respondendo te errasse fateris? deinde nonne manifestum est,

ex eo errauisse, quod ignoraueris?

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Num ita res se habet, vt si quis ignoret, illius animum circa id errare necesse sit?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Scisne quo pacto in coelum ascendas?

**ALCIBIADES:** Minime per Iouem.

**SOCRATES:** Aberrat circa haec opinio tua.

**ALCIBIADES:** Non certe.

**SOCRATES:** Scis autem huius causam, an me dicere mauis?

**ALCIBIADES:** Dic.

**SOCRATES:** Quoniam cum nescias non putas te scire.

**ALCIBIADES:** Quomodo o amice, rursus id ais?

**SOCRATES:** Cogita tu quoque mecum. Quae nescis, cognoscisque te ea nescire, num in illis laberis quemadmodum de parandis obsoniis nosti sane quod nescis?

**ALCIBIADES:** Penitus.

**SOCRATES:** Vtrum circa haec opinaris quomodo parare conueniat, atque erras? an potius scienti concedis?

**ALCIBIADES:** Hoc pacto.

**SOCRATES:** Quid si nauigares, nunquid opinareris gubernaculum nunc ad interiora, nunc ad exteriora flectendum, ac nescius errares, an potius gubernatori concedens, quiesceres?

**ALCIBIADES:** Gubernatori.

**SOCRATES:** Non igitur erras in iis quae nescis, si nescire te noueris.

**ALCIBIADES:** Non videtur.

**SOCRATES:** Cernis errores in actionibus esse ob hanc ignorantiam, quod qui nescit scire se putat?

**ALCIBIADES:** Quo pacto id ais?

**SOCRATES:** Tunc agere aggredimur, cum nosse putamus quod agimus.

**ALCIBIADES:** Ita est.

**SOCRATES:** Contra, qui ignorantiae suae conscii sibi sunt, aliis se committunt.

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Quapropter ex ignorantibus hi soli sine culpa vitam agunt, ex eo quod aliorum curae se credunt.

**ALCIBIADES:** Profecto.

**SOCRATES:** Quinam peccant? non enim scientes.

**ALCIBIADES:** Non certe.

**SOCRATES:** Postquam neque scientes, neque ex ignorantibus ii qui ignorantiae suae conscii sibi sunt errant, quinam alii restent, quam ii qui cum nesciant, scire se putant?

**ALCIBIADES:** Soli.

**SOCRATES:** Haec igitur ignorantia malorum causa est, et vituperanda inscitia.

**ALCIBIADES:** Nempe.

**SOCRATES:** Et quando circa maxima est, tunc deterrima atque turpissima.

**ALCIBIADES:** Maxime.

**SOCRATES:** Num habes quicquam maius quam iustum, bonum, vile?

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Nonne circa haec errasse te asseris?

**ALCIBIADES:** Assero.

**SOCRATES:** Quod si erras, nonne ex superioribus perspicuum est, quod non modo in maximis rebus inscius es, verumetiam cum sis ignarus, scire te putas?

**ALCIBIADES:** Videor.

**SOCRATES:** Papae, o Alcibiades, quo pressus es morbo? hunc equidem nominare horresco. Veruntamen cum soli simus, dicendum est. In turpissima namque inscitia, optime vir, versaris, id quod ipse oratione tua satis declaras: prius te ad ciuilia confers, quam sis gubernandi peritus. Neque te solum

morbus hic tenuit, verumetiam omnes qui hanc Rempublicam administrarunt, praeter admodum paucos, ac fortasse praeter tutorem tuum Periclem.

**ALCIBIADES:** Fertur, o Socrates, non casu quodam sapiens euasisse Pericles, sed multis ac sapientibus viris familiariter vsus cum sit, Pythoclide in primis et Anaxagora: nunc etiam tam grandis natu, sapientiae gratia Damone vtitur.

**SOCRATES:** Num quem vidisti sapientem, qui in ea re in qua ipse sapit, alium sapientem efficere non posset? veluti qui te in literis erudiuit, ipse quidem erat sapiens, teque pariter reddidit sapientem: et eodem pacto quemuis alium poterat.

**ALCIBIADES:** Profecto.

**SOCRATES:** Et tu quoque eruditus ab illo, alium instruere poteris.

**ALCIBIADES:** Potero.

**SOCRATES:** Similiter citharoedus et magister gymnasii.

**ALCIBIADES:** Penitus.

**SOCRATES:** Optima igitur haec coniectura est, quosdam esse, qui cum ipsi sciant, ostendere quos docuerunt possunt.

**ALCIBIADES:** Mihi quidem videtur.

**SOCRATES:** Habes quem dicere possis a Pericle sapientem factum, a filiis incipiens?

**ALCIBIADES:** Quid si Periclis filii stolidi sunt?

**SOCRATES:** At vero fratrem tuum Cliniam?

**ALCIBIADES:** Quid Cliniam commemoras hominem insanum?

**SOCRATES:** Postquam Clinias quidem fuerit, filii vero Periclis stolidi nati sunt, tibi quam causam adscribemus, propter quam te cum talis sis, negligat?

**ALCIBIADES:** Ego ipse, vt arbitror, in culpa sum, cum illi mentem non adhibuerim.

**SOCRATES:** Verum ex Atheniensibus hospitibusve caeteris, dic quem vel seruum, vel liberum sapientiore sua consuetudine fecerit, sicuti ego tibi ostendere possum propter Zenonis familiaritatem Pythodorum Isolochi et Calliam Calliadae filios factos esse dignos sapientesque viros, quorum vterque

centum minas Zenoni tradidit.

**ALCIBIADES:** Per Iouem non habeo quem dicam.

**SOCRATES:** Esto. Quid ergo de te ipso cogitas? num qualis nunc es, maturescis, an aliquid conari potius?

**ALCIBIADES:** Communi consilio opus est, o Socrates. Etenim tua dicta intelligo, eisque assentior. Nam qui Rempublicam administrant, praeter admodum paucos, ineruditi mihi quoque videntur.

**SOCRATES:** Quid tum?

**ALCIBIADES:** Si periti essent, oporteret eum qui cum illis decertaturus est, postquam eandem artem didicisset, ac seipsum exercuisset: tunc demum tanquam ad athletas ire: nunc autem postquam et isti imperiti ad rempub. accesserunt, quid exercitatione opus est mihi? quid disciplinae studio? Noui enim quod naturae dotibus longe hos superabo.

**SOCRATES:** Papae, quidnam optime vir dixisti? quam indignum indole tua, ac reliquis istis tuis dotibus.

**ALCIBIADES:** Quorsum haec, o Socrates?

**SOCRATES:** Dolet enim mihi tum propter te, tum ob mutuam nostram beneuolentiam.

**ALCIBIADES:** Quidnam?

**SOCRATES:** Quod putaueris aduersus homines, qui hic sunt, tibi certamen fore.

**ALCIBIADES:** Aduersus quos igitur?

**SOCRATES:** Decetne, vt id quaerat vir qui tanti se facit?

**ALCIBIADES:** Quid ais? nonne aduersus istos mihi certamen.

**SOCRATES:** Si pugnaturam triremem gubernare statuas, satisne tibi putes, tuis te connautis gubernando praestare? an cum hoc ita esse oportere intelligas, in strenuos aduersarios potius, non vt nunc facis, in propugnatores tuos respicis, quibus te tantum oportet excellere, non qui contra illos quidem pugnandum existimes, sed parui potius pendes, seu ministris aduersus hostes vti, si quidem reuera egregium aliquod facinus edere velis te ac repub. tua dignum?

**ALCIBIADES:** At id quidem cogito.

**SOCRATES:** An decet igitur, vt satis putes, si tuorum militum praestantissimus tu scis, non autem respicias ad hostium duces, qua ratione illis potius excellas, in hos intentus semper, et contra eos te muniens?

**ALCIBIADES:** Quos dicis, o Socrates?

**SOCRATES:** Nostine urbem nostram cum Lacedaemoniis, ac magno Persarum rege vndique bellum gerere?

**ALCIBIADES:** Vera dicis.

**SOCRATES:** Nonne, cum in animo sit huius ciuitatis dux fieri, recte facias, si putes aduersus Lacedaemoniorum Persarumque Reges certamen te subiturum?

**ALCIBIADES:** Vera dicere videris.

**SOCRATES:** Non, o bone vir: sed in Midiam coturnicum nutritorem te decet intentum esse, et alios huiusmodi, qui cum nondum capillos, quos serui alebant, animo (quemadmodum mulierculae vulgo dicunt) prae imperitia abraserint, rem publicam tamen tractare aggrediuntur, adhuc barbariem redolentes: atque ita affecti prodeunt adulaturi ciuitati, non autem imperaturi. In istos, inquam, intuentem te, num de teipso securum esse decet, neque discere quaecunque ad eruditionem pertinent, cum sis tantum certamen aditurus, neque in quibus oportet exerceri, et quae sunt praeparanda parare, vt ita institutus ciuilem tandem administrationem capessas?

**ALCIBIADES:** O Socrates, vera mihi dicere videris. Arbitror enim Lacedaemoniorum duces regemque Persarum nihilo ab aliis discrepare.

**SOCRATES:** At, o vir optime, animaduerte quaeso, qualis haec sit opinio tua.

**ALCIBIADES:** Qua in re?

**SOCRATES:** Num te existimas diligentius teipsum curaturum, si illos tanquam potentissimos esse credens, formides, an si minime eos timeas?

**ALCIBIADES:** Si potentes illos existimauero.

**SOCRATES:** An censes curam, quam tute de te habes, alicubi tibi posse nocere?

**ALCIBIADES:** Nullo modo: at contra, maxime prodesse.

**SOCRATES:** Vnum quidem hoc in primis tantum malum ista tua opinio habet.

**ALCIBIADES:** Vera dicis.

**SOCRATES:** Secundum vero, quod falsa sit, quod ita tibi probabile efficitur.

**ALCIBIADES:** Quomodo?

**SOCRATES:** Vtrum consentaneum est, meliores esse naturas in genere nobili, an ignobili?

**ALCIBIADES:** Manifestum quod in nobili.

**SOCRATES:** Nonne bene nati, si bene etiam educantur, ita demum ad virtutem perueniunt?

**ALCIBIADES:** Necesse est.

**SOCRATES:** Consideremus itaque illis nostra comparantes: primum quidem, vtrum Lacedaemoniorum Persarumque reges ignobiliori, quam nos genere orti videantur. An ignoramus illos quidem ab Hercule, hos autem ab Achemene genus ducere? Herculis autem, et Achemenis origo ad Persem Iouis filium refertur.

**ALCIBIADES:** Et nostrum quidem, o Socrates, in Eurysacem, Eurysacis in Iouem.

**SOCRATES:** Atqui nostrum, o generose Alcibiades, in Daedalum etiam, Daedalus autem in Vulcanum Iouis filium. Verum istorum maiores ab iis incipientes reges sunt ex regibus vsque ad Iouem. Illi quidem Argiuorum et Spartae. Hi vero Persidis semper, saepe etiam, vt et nunc, Asiae. Nos autem maioresque nostri priuati. Quod si te oporteret progenitores ac patriam Eurysacis ostendere Salaminam, vel Aeaci etiam prioris Aeginam Artaxerxi Xerxis filio. quo te risu exceptum iri putas? Sed vide, ne et generis dignitate, et educatione praeterea, illis inferiores simus. Nunquid audisti quanta sit Lacedaemoniorum regum dignitas? quorum vxores publice obseruantur ab Ephoris, vt quod fieri potest, rex non ex alio, quam Heraclidarum genere latenter oriatur. Persarum vero rex adeo excellit, vt nemo suspicetur regem ex alio, quam ex ipso genitum esse: quamobrem regis vxor non ab alio, quam metu custoditur. Postquam vero natus est primogenitus, qui succedit in regno, primo quidem eum diem, omnes qui sub regno sunt celebrant, atque ita in posterum quotannis natalem regis diem sacris ac festis omnis Asia colit.

Cum vero apud nos quis nascitur, ne vicini quidem, ut ait Comoedus, sentiunt, o Alcibiades. Deinceps nutritus puer, non a muliere nutrice parum honorifica, verum ab eunuchis, qui reliquorum circa regem optimi videantur, quibus et alia, quae spectant ad curam pueri, demandatur, ac praecipue, ut natum quam pulcherrimum reddant, componentes membra eius atque dirigentes. Atque haec facientes magno in honore habentur. Cum autem pueri septimum aetatis annum impleuerunt, ad equestris artis magistros proficiscuntur, deinde in venationem tendunt. Anno vero quartodecimo puerum suscipiunt hi, quos regio paedagogos appellant. Sunt ii profecto ex omnibus Persis ea aetate electi praecipuique quatuor, sapientissimus, iustissimus, temperatissimus, atque fortissimus aliquis vir. Quorum primus magica Zoroastri Oromasii filii docet: est autem illa deorum cultus: atque idem tradit instituta regia. Secundus admonet, ut in omni vita sit verax. Tertius ne vlla cupiditate superetur, ut liber vivere consuescat, ac reuera rex, imperans iis ante omnia, quae in ipso sunt, nec vlli seruiens. Quartus denique impavidum illum, et intrepidum reddit, nequando quippiam metuens seruus fiat. Tibi autem, o Alcibiades, Pericles adiunxit paedagogum Zopyrum Thracem omnium seruorum suorum prae senio inutilissimum. Narrarem praeterea tibi reliquam educationem, et disciplinam aduersariorum tuorum, nisi longum sit. Iam vero satis haec clara sunt ad caetera quae hinc sequuntur ostendenda. Tuae vero aliorumque Atheniensium generationis, educationis et disciplinae nulli, ut ita dicam, propinquorum cura est, nisi forte amatores id curent. Iam vero diuitias, delicias, vestium luxuriosum ornatum, vnguentorum odores, ministrorum sequentium turbam, reliquamque Persarum molliem, si considerare voles, pudebit te tui, ubi intelliges quantum ab illis relinquere. Contra si considerare Lacedaemoniorum temperantiam, modestiam, facilitatem, mansuetudinem, magnanimitatem, moderationem, compositionem, fortitudinem, constantiam, tolerantiam, victoriae cupiditatem, et amorem gloriae, velis: puerum te iis omnibus in rebus iudicabis. Si quid rursus opulentiae tribuis, et hic aliquis esse putas, neque haec a nobis silentio praetereantur. Modo sentias vbinam sis, et Lacedaemoniorum diuitias intuearis, cognosces profecto nos ab illis longe admodum superari. Quicquid enim, aut sui agri, aut Messaniensis possident, nemo utique dubitet, quin amplitudine et vbertate ac seruorum, tam aliorum, quam Elotarum frequentia, et equorum praeterea, aliorumque pecorum, quae

fert Messania, copia nostros superet. Caeterum haec omnia in praesentia omitto. Auri vero et argenti apud Lacedaemonas copia tanta, quam tam ne vniuersa quidem reliqua Graecia possidet. Multa enim iam secula infertur quidem illuc ex vniuersa Graecia, saepe etiam ex Barbaria, effertur autem nusquam. Sed reuera quemadmodum in Aesopi fabula vulpes leoni dixit de ferarum vestigiis, sic et nummorum vestigia ingredientium Lacedaemonem trita quidem in puluere videntur, egredientium vero nusquam apparent. Vnde coniectare licet Lacedaemonios auri atque argenti Graecorum omnium esse ditissimos. Quinetiam rex illorum pecuniosissimus. Ex iis enim maxima pars ad ipsum peruenit. Tributum praeterea regi pergrande impenditur. Et res quidem Lacedaemoniorum quo ad reliquos Graecos, amplae: quo ad vero Persas regemque Persarum, angustae. Retulit quippe nobis vir quidam grauis, vnus eorum qui ad Persarum regem profecti erant, se quandoque integrum pene diem, latam ac fertilem peragrasse prouinciam, quam incolae vxoris regiae Zonam appellarent: esse quoque aliam nomine Calyptram, atque ita multas alias regiones pulchras ac fertiles ad ornatum reginae solius pertinere, nominaque singulis locis a singulis ornamentis imposita esse. Quam obrem, opinor, si quis Amastridi Xerxis quidem vxori, regis autem matri dicat, Dinomaches filium in animo habere, cum ipsius filio pugnare, cum Dinomachae mundus ad summum quinquaginta fortasse sit minarum, filio vero agri plethra in Erchiasis minus, quam trecenta, ea admiraturam qua re fretus Alcibiades audeat cum Artaxerxe pugnare. Reorque illam arbitraturam hunc virum in nulla alia re, nisi diligentia sapientiaque confisum id aggredi: haec quippe sola apud Graecos aestimatione digna esse. Quod si intelligat aliunde, Alcibiadem istum certamen tantum inire, primo quidem nondum viginti annos prorsus natum, deinde omnino indoctum, nec amico suo obedientem monenti, prius discat curamque adhibeat, seseque exerceat quam tantum regem inuadat, ac dicentem satis commode rem vti nunc est se habere, arbitror illam admiratione concitam interrogaturam, quidnam sit quo adolescens iste confidat. Cui si responderemus, pulchritudine, proceritate, nobilitate, diuitiis, animo te fidere, nos, o Alcibiades, insanire putaret arbitror, haec apud suos omnia potiora ducens. Eodemque modo Lampidonem Leotychidae filiam, Archidami vero vxorem, Agidis autem matrem, qui omnes reges extitere, miraturam, cum norit qualia circa se sunt, te tam male instructum filio suo non dubitare bellum mouere. Atqui nonne turpe videtur,

si hostium mulieres rectius iudicent, quam nosmetipsi, quemadmodum contra illos accingi debeamus? Caeterum o beate mihi parens et illi, quod in Delphis est, epigrammati obtemperans, Nosce teipsum: quoniam ii sunt aduersarii nostri, non quos ipse rebaris, quos quidem nulla re alia, nisi industria, et arte superare licet. Quibus profecto si inferior fueris, gloria quoque apud Graecos, et Barbaros tibi deerit: quam sic ardentem videris appetere, vt nemo vnquam aliquid ardentius concupiuerit.

**ALCIBIADES:** Quam igitur curam adhibendam censes, o Socrates? An potes ostendere? Mihi enim supra quam dici possit, vera dixisse videris.

**SOCRATES:** Possum quidem, verum communi consilio opus est, qua ratione quam optimi efficiamur. Ego enim non te tantum, verum etiam me ipsum disciplina indigere dico. Nam vnum solum est, quo a te differo.

**ALCIBIADES:** Quid?

**SOCRATES:** Curator meus melior est, et sapientior, quam tuus Pericles.

**ALCIBIADES:** Quis hic, o Socrates?

**SOCRATES:** Deus, o Alcibiades, qui me vetuit ante hunc diem tecum differere, cui credens, assero te per nullum alium, quam per me claritatem consecuturum.

**ALCIBIADES:** Iocaris, o Socrates.

**SOCRATES:** Forsitan, vera tamen loquor, quod vterque curatione indigemus, imo homines vniuersi, caeterum nos quamplurimum.

**ALCIBIADES:** Quod quidem ego indigeam, haudquaquam falleris.

**SOCRATES:** Neque etiam quod ego ipse.

**ALCIBIADES:** Quid igitur agendum?

**SOCRATES:** Nec haesitandum, neque etiam mollitiae indulgendum est, o amice.

**ALCIBIADES:** Non decet, o Socrates.

**SOCRATES:** Non certe, sed in commune considerandum. Verum dic mihi, an optimi esse volumus?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** In qua facultate?

**ALCIBIADES:** Qua videlicet viri boni.

**SOCRATES:** Quanam in re boni?

**ALCIBIADES:** In rebus agendis.

**SOCRATES:** In quibus? num in re equestri?

**ALCIBIADES:** Non.

**SOCRATES:** Ad equites enim iremus.

**ALCIBIADES:** Profecto.

**SOCRATES:** Nunquid in naus gubernatione dicebas?

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Ad nautas enim iremus.

**ALCIBIADES:** Iremus.

**SOCRATES:** In quo ergo negotio, et quorum hominum officio?

**ALCIBIADES:** In iis quae clari bonique Atheniensium viri agunt.

**SOCRATES:** Claros ac bonos, prudentesne, an imprudentes appellas?

**ALCIBIADES:** Prudentes.

**SOCRATES:** In quo vnusquisque prudens, in eodem bonus?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Imprudens autem malus?

**ALCIBIADES:** Malus.

**SOCRATES:** Calceorum sutor prudens ad calceorum opus?

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Bonus ergo ad haec?

**ALCIBIADES:** Bonus.

**SOCRATES:** Quid vero vestibus conficiendis, nonne cerdo hic imprudens?

**ALCIBIADES:** Ita.

**SOCRATES:** Malus ergo ad haec?

**ALCIBIADES:** Ita.

**SOCRATES:** Idem itaque secundum hanc rationem etiam bonus atque malus erit.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** An dicis viros bonos malos etiam esse?

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Quos tandem bonos vocas?

**ALCIBIADES:** Eos qui in ciuitate praeesse possunt.

**SOCRATES:** Non tamen equis?

**ALCIBIADES:** Non certe.

**SOCRATES:** At hominibus?

**ALCIBIADES:** Hominibus.

**SOCRATES:** Num hominibus aegrotantibus?

**ALCIBIADES:** Non.

**SOCRATES:** An forte nauigantibus?

**ALCIBIADES:** Non iis dico.

**SOCRATES:** Metentibusne?

**ALCIBIADES:** Neque his.

**SOCRATES:** Aliquidne vel nihil facientibus?

**ALCIBIADES:** Facientibus.

**SOCRATES:** Quid tandem facientibus? id mihi declara.

**ALCIBIADES:** Commercia inquam agitantibus, atque mutua opera vtentibus quemadmodum in ciuitatibus aetatem agimus.

**SOCRATES:** Nunquid imperare eos dicis hominibus, qui hominibus vtuntur?

**ALCIBIADES:** Aio.

**SOCRATES:** An gubernatoribus qui remigibus vtuntur?

**ALCIBIADES:** Non.

**SOCRATES:** Haec enim gubernatoriae facultatis virtus est.

**ALCIBIADES:** Est.

**SOCRATES:** Fortasse imperare dicebas tibicinibus, qui canentibus praesunt, choreisque vtuntur?

**ALCIBIADES:** Neque his.

**SOCRATES:** Hoc namque ad facultatem chori magistram pertinet.

**ALCIBIADES:** Omnino.

**SOCRATES:** Quid denique vocas imperare posse hominibus, qui vtuntur hominibus?

**ALCIBIADES:** Praeesse hominibus communicantibus inuicem in Reipub. administratione atque commerciis.

**SOCRATES:** Quaenam haec ars est? quemadmodum si te iterum rogem, quae facultas efficit, vt praesesse nauigando communicantibus sciamus?

**ALCIBIADES:** Gubernatoria.

**SOCRATES:** Communicantibus autem in cantu, quod paulo ante dicebatur, quae scientia praesesse docet?

**ALCIBIADES:** Quam tu nuper aiebas, chori disciplina.

**SOCRATES:** In Repub. vero communicantibus, quam scientiam vocas?

**ALCIBIADES:** Bonum consilium, o Socrates.

**SOCRATES:** Num tibi videtur gubernatorum ars carere consilio?

**ALCIBIADES:** Minime.

**SOCRATES:** Est ipsa quoque bonum consilium.

**ALCIBIADES:** Mihi sane videtur.

**SOCRATES:** Ad nauigantium salutem.

**ALCIBIADES:** Recte loqueris.

**SOCRATES:** Quod vero bonum consilium vocas, quo spectat?

**ALCIBIADES:** Ad meliorem ciuitatis institutionem salutemque.

**SOCRATES:** Quanam re praesenti, vel absente melius disponitur atque seruatur? Ceu si ipse me roges, quo praesente, aut absente bene se habent corpora: responderem vtique sanitate praesente, morbo vero remoto. Idem et tu existimas?

**ALCIBIADES:** Idem.

**SOCRATES:** Quod si idem quaeras de oculis, eadem ratione respondebo, pulsa caecitate, quum adest visus. Et aures curari fugata surditate, cum adest auditus.

**ALCIBIADES:** Recte.

**SOCRATES:** Ciuitas autem quo remoto, quoque adhibito melior fit, ac melius instituitur?

**ALCIBIADES:** Mihi videtur, o Socrates, quando amicitia est inter ciues: odia vero et seditiones absunt.

**SOCRATES:** Amicitiam vocas consensionem an dissensionem?

**ALCIBIADES:** Consensionem.

**SOCRATES:** Per quam artem ciuitates, circa numeros consentiunt?

**ALCIBIADES:** Per arithmeticam.

**SOCRATES:** Priuati vero, an non propter eandem?

**ALCIBIADES:** Nempe.

**SOCRATES:** Et vnusquisque secum ipse?

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Per quam artem quisque secum ipse consentit de palmo, et cubito vter maior sit? nonne per metiendi peritiam?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Nonne scilicet priuatim et publice.

**ALCIBIADES:** Imo.

**SOCRATES:** Et de ponderibus eodem pacto.

**ALCIBIADES:** Assentior.

**SOCRATES:** Consensus igitur quem dicebas, quisnam est? circa quid? quae ars eum praestat? Etenim iste consensus talis est, vt insit reipub. et priuato vniciuique ad seipsum, et ad alios.

**ALCIBIADES:** Consentaneum.

**SOCRATES:** Quis igitur est? ne pigeat respondere, ac prompte dic.

**ALCIBIADES:** Reor equidem esse amicitiam, et consensionem qua pater, ac mater filium, et frater fratrem, et vxor virum amantes consentiunt.

**SOCRATES:** Putasne, o Alcibiades, virum cum vxore circa lanificium conuenire, imperitum cum perita?

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Neque oportet quidem: muliebris enim haec disciplina est.

**ALCIBIADES:** Profecto.

**SOCRATES:** Quid vero mulier cum viro circa opus militare conueniet, cum id haudquaquam didicerit?

**ALCIBIADES:** Minime.

**SOCRATES:** Virile enim id rursus esse diceres.

**ALCIBIADES:** Equidem.

**SOCRATES:** Sunt ergo disciplinae quaedam mulierum, quaedam virorum, iuxta hanc sententiam tuam.

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** In iis itaque mulieribus, cum viris consensus est nullus.

**ALCIBIADES:** Nullus.

**SOCRATES:** Neque amicitia igitur: siquidem amicitia consensio quaedam est.

**ALCIBIADES:** Non videtur.

**SOCRATES:** Ideoque quatenus mulieres officia sua exercent, non amantur a viris.

**ALCIBIADES:** Non apparet.

**SOCRATES:** Neque viri etiam a mulieribus, dum virilia tractant.

**ALCIBIADES:** Non.

**SOCRATES:** Non ergo tunc optime ciuitates instituuntur, cum singuli operibus suis incumbunt.

**ALCIBIADES:** Ego tamen id, o Socrates, arbitror.

**SOCRATES:** Quomodo hoc ais, amicitia sublata? qua praesente confessi sumus bene constitui ciuitates, aliter vero contra.

**ALCIBIADES:** Atqui mihi videtur ob hoc inter homines consistere amicitiam, quod quisque suum officium exequatur.

**SOCRATES:** Atqui aliud paulo ante dicebas: nunc autem quo pacto rursus ais consensione adhibita amicitiam fieri, an potest circa haec consensus existere, quorum ii quidem periti, ii vero imperiti sunt?

**ALCIBIADES:** Fieri non potest.

**SOCRATES:** Iustane an iniusta faciunt, cum singuli quae ad se attinent, exequuntur?

**ALCIBIADES:** Iusta profecto.

**SOCRATES:** Iuste igitur agentibus ciuibus, in ciuitate non est amicitia.

**ALCIBIADES:** Necessarium hoc itidem videtur, o Socrates.

**SOCRATES:** Quam itaque dicis amicitiam siue consensionem, circa quam nos sapientes, et consultores esse oportet, vt boni viri simus? Neque enim percipere possum quaenam sit, aut quibus in rebus existat. cum ex oratione tua interdum in eisdem inesse, nonnunquam ab eisdem abesse videatur.

**ALCIBIADES:** Per Deos, o Socrates, ne ipse quidem quid dicam, intelligo: videorque iamdiu meipsum fefellisse, cum turpissime habeam.

**SOCRATES:** Considerare decet. Nam si hoc demum animaduertisses, annos quinquaginta natus, arduum sane foret teipsum curare: nunc vero in ea es aetate, in qua id aduertere decet.

**ALCIBIADES:** Quid igitur hoc aduertentem facere oportet?

**SOCRATES:** Responde ad ea quae interrogabo te, Alcibiades. Quod si feceris, ac Deus voluerit, si qua modo fides meis est vaticiniis adhibenda, tu simul, et ego melius habebimus.

**ALCIBIADES:** Ita erit quod ad me respondentem attinet.

**SOCRATES:** Age, quid est seipsum curare, ne saepe nosipsos fallamus, non curantes nosmetipsos, cum belle curare putemus. Et quando id homo facit, non quoties suorum, toties et sui curam habet?

**ALCIBIADES:** Mihi quidem videtur.

**SOCRATES:** Quid? num pedes tunc quis curat, cum ea quae pedum sunt curat?

**ALCIBIADES:** Non intelligo.

**SOCRATES:** Dicisne esse aliquid ipsius manus, quemadmodum annulus est?  
Num alterius membri, quam digiti annulum esse censes?

**ALCIBIADES:** Minime.

**SOCRATES:** Et pedis calceum eodem modo?

**ALCIBIADES:** Ita.

**SOCRATES:** Cum calceorum curam gerimus, num et pedum cura est?

**ALCIBIADES:** Haud multum intelligo, o Socrates.

**SOCRATES:** Quid vero, o Alcibiades, vocasne aliquid rectam alicuius curationem?

**ALCIBIADES:** Voco.

**SOCRATES:** An non cum quid melius fit, tunc recte curatum dicis?

**ALCIBIADES:** Dico.

**SOCRATES:** Quae ars calceos meliores efficit?

**ALCIBIADES:** Cerdonica.

**SOCRATES:** Cerdonica igitur calceorum curam habemus?

**ALCIBIADES:** Hac ipsa.

**SOCRATES:** Nunquid et pedes etiam cerdonica? vel ipsa potius qua pedes reddimus meliores?

**ALCIBIADES:** Illa.

**SOCRATES:** Pedes autem meliores, nonne qua et reliquum corpus?

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Haec nonne gymnastica?

**ALCIBIADES:** Maxime.

**SOCRATES:** Ergo gymnastica pedes curamus, cerdonica vero illa quae pedum sunt.

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Et gymnastica quoque manus, anularia vero illa, quae sunt manuum.

**ALCIBIADES:** Sic est.

**SOCRATES:** Et gymnastica corpus, textoria autem et aliis facultatibus, ea quae corporis sunt.

**ALCIBIADES:** Omnino.

**SOCRATES:** Alia igitur arte vnumquodque: alia quae illius sunt, curamus.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Non ergo cum sua quis, tunc etiam se curat.

**ALCIBIADES:** Nullo pacto.

**SOCRATES:** Non enim eadem ars, ut videtur, quae nos, et quae nostra curat.

**ALCIBIADES:** Non apparet.

**SOCRATES:** Age itaque quam arte nosipsos curare possumus?

**ALCIBIADES:** Non habeo quid dicam.

**SOCRATES:** At hoc tamen inter nos conuenit, quod non qua nostrorum aliquid melius efficimus, nos curamus: verum qua nosipsos ad meliorem frugem corrigimus.

**ALCIBIADES:** Vera narras.

**SOCRATES:** Nossene vnquam licet, quae ars meliorem faciat calceum, nisi calceum ipsum nouerimus?

**ALCIBIADES:** Fieri nequit.

**SOCRATES:** Neque etiam quae anulum efficit meliorem, ignorantes anulum.

**ALCIBIADES:** Verum.

**SOCRATES:** Sciemusne vnquam qua arte meliores euadamus, quandiu nosipsos ignoramus?

**ALCIBIADES:** Nunquam.

**SOCRATES:** Vtrum facile quiddam sit seipsum cognoscere, ac ridiculus fuerit, qui templo Apollinis id inscripsit, an potius arduum quippiam, nec cuiusuis hominis est?

**ALCIBIADES:** Mihi quidem, o Socrates, aliquando visum est facile, et cuiusuis esse, nonnunquam vero omnium difficillimum.

**SOCRATES:** Sed siue facile hoc sit, o Alcibiades, siue difficile, nobis sane sic se habet, vt hoc intelligentes, etiam qua ratione curandi sumus, intelligamus: ignorantes vero contra.

**ALCIBIADES:** Est vt dicis.

**SOCRATES:** Age, quomodo illud ipsum inueniemus, sic enim fortassis quid simus ipsi inuenire poterimus. At hoc ignorantes nunquam.

**ALCIBIADES:** Recte loqueris.

**SOCRATES:** Attende ergo per Deum, cum alione, quam mecum tu disputas?

**ALCIBIADES:** Tecum.

**SOCRATES:** Et ego nonne tecum?

**ALCIBIADES:** Et tu mecum.

**SOCRATES:** Socrates igitur est, qui disputat.

**ALCIBIADES:** Est.

**SOCRATES:** Alcibiades vero qui audit.

**ALCIBIADES:** Ita est.

**SOCRATES:** Nonne ratione Socrates disputat?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Disputare autem et ratione vti, idem quodammodo vocas?

**ALCIBIADES:** Idem.

**SOCRATES:** Vtens autem et quo vtimur, nonne aliud?

**ALCIBIADES:** Quomodo dicis?

**SOCRATES:** Quemadmodum cerdo incidit quidem circulari, et semicirculari organo, atque aliis instrumentis.

**ALCIBIADES:** Et vt dicis.

**SOCRATES:** Nonne aliud quiddam est qui diuidit, et quo diuiditur quicquam?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Item aliud citharoedus, aliud quo citharam pulsas?

**ALCIBIADES:** Aliud.

**SOCRATES:** Hoc paulo ante interrogabam, an vtens et quo vtitur, semper aliud esse videatur.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Cerdonem incidere dicimus instrumentis tantum, an etiam manibus?

**ALCIBIADES:** Et manibus.

**SOCRATES:** Et iis ergo vtitur.

**ALCIBIADES:** Vtitur.

**SOCRATES:** An non et oculis vtens coria incidit?

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Vtentem vero aliud quiddam ab iis quibus vtitur, esse concessimus.

**ALCIBIADES:** Concessimus.

**SOCRATES:** Cerdo igitur et citharoedus aliud quiddam sunt, quam oculi et manus quibus vtuntur.

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** Nonne toto corpore homo vtitur?

**ALCIBIADES:** Penitus.

**SOCRATES:** Aliud vtique vtens, et quo vtitur.

**ALCIBIADES:** Sic est.

**SOCRATES:** Homo ergo a suo corpore aliud est.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Quid est igitur homo?

**ALCIBIADES:** Ignoro.

**SOCRATES:** Scis esse, quod corpore vtitur.

**ALCIBIADES:** Scio.

**SOCRATES:** Aliudne vtitur ipso, quam anima?

**ALCIBIADES:** Nil aliud.

**SOCRATES:** An non imperans?

**ALCIBIADES:** Imperans.

**SOCRATES:** Quinetiam neminem hoc aliter aestimaturum puto.

**ALCIBIADES:** Quidnam?

**SOCRATES:** Quin ex tribus, vnum aliquid homo sit.

**ALCIBIADES:** Ex quibus?

**SOCRATES:** Aut animam videlicet, aut corpus, aut totum ipsum ex vtrisque compositum.

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Veruntamen id quod imperat corpori, hominem esse confessi sumus.

**ALCIBIADES:** Confessi sumus.

**SOCRATES:** Quid igitur homo? Num sibiipsi corpus imperat?

**ALCIBIADES:** Nullo modo.

**SOCRATES:** Subiici enim illud diximus.

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Non est igitur hoc quod quaerimus.

**ALCIBIADES:** Non vt videtur.

**SOCRATES:** At vtrunque simul forsitan corpori dominatur, atque id homo est.

**ALCIBIADES:** Forte.

**SOCRATES:** Imo minime omnium: nam altero illorum non dominante, nulla coniectura est, vt simul vtrunque dominetur.

**ALCIBIADES:** Recte loqueris.

**SOCRATES:** Cum vero nec corpus, nec simul vtrunque sit homo, restat vt arbitror, aut nihil omnino hominem esse, aut si quid est, nihil aliud, quam animam esse.

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Adhucne liquidius monstrari tibi oportet, animam esse hominem?

**ALCIBIADES:** Non per Iouem: haec enim sufficere mihi videtur.

**SOCRATES:** Et si non in integrum haec discussa sunt, mediocriter tamen inducta in praesentia sufficiunt. Nam tunc demum penitus comprehendemus, cum inuenerimus quod nunc, qua ampliore indagatione requirebat, praetermisimus.

**ALCIBIADES:** Quid istud?

**SOCRATES:** Paulo ante sic est dictum, quod prius considerandum sit ipsum idem, nunc vero pro eo quod est ipsum idem, considerauius ipsum vnumquodque quid est. Idque forte suffecit. Nihil enim in nobis ipsis esse maius, quam animam dicere possemus.

**ALCIBIADES:** Non certe.

**SOCRATES:** Nonne ita putandum est, me scilicet ac te conspirare inuicem anima ad animam sermone vtentes?

**ALCIBIADES:** Et maxime quidem.

**SOCRATES:** Hoc itaque erat quod paulo ante dicebamus, quod Socrates cum Alcibiade disputat, oratione vtens non ad personam tuam, vt apparet, sed ad Alcibiadem verba dirigens: hoc autem anima est.

**ALCIBIADES:** Mihi sane videtur.

**SOCRATES:** Animam igitur nosse iubet, qui praecipit, Nosce teipsum.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Quicumque igitur corpus cognoscit, sua quidem non seipsum nouit.

**ALCIBIADES:** Sic est.

**SOCRATES:** Atque ideo nullus medicus vt est medicus, neque gymnasticus vt gymnasticus sese nouit.

**ALCIBIADES:** Non vt videtur.

**SOCRATES:** Multo minus agricolae, alique opifices se cognoscunt: neque enim se, neque sua, sed remotiora quaedam artium suarum expendunt: iis enim intenti sunt, quibus corpus curatur.

**ALCIBIADES:** Vera narras.

**SOCRATES:** Quare si prudentia est seipsum nosse, nullus istorum secundum suam artem est prudens.

**ALCIBIADES:** Non vt videtur.

**SOCRATES:** Ob hoc mechanicae artes istae, non autem boni viri disciplinae videntur.

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Nonne rursus quicunque corporis curam habet, sua quidem non seipsum curat?

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** At vero cui pecuniae curae sunt, nec se, nec sua, sed quae procul a suis sunt, curat.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Non ergo suis rebus studet, qui pecunias cumulat.

**ALCIBIADES:** Recte.

**SOCRATES:** Quisquis etiam corpus Alcibiadis amavit vnquam, non Alcibiadem ipsum, sed quae Alcibiadis essent, amavit.

**ALCIBIADES:** Vera loqueris.

**SOCRATES:** Qui vero te amat, amat animum.

**ALCIBIADES:** Necessario sequi ex ratione tua videtur.

**SOCRATES:** Nonne tui corporis amator, cum primum species deflorescit, abiens deserit?

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** At vero qui animum tuum diligit, nunquam deserit, donec ad meliorem frugem peruenias.

**ALCIBIADES:** Consentaneum.

**SOCRATES:** Hac ego ob causam te minime desero, verum in amicitia perseuero, reliquis senescente corpore abeuntibus.

**ALCIBIADES:** O quam bene facis, mi Socrates, ne in posterum me deseras obsecro.

**SOCRATES:** At enitere, vt quampulcherrimus fias.

**ALCIBIADES:** Conabor.

**SOCRATES:** Sic se tua res habet: nec fuit vnquam, nec est vt opinor, Alcibiadis Cliniae filii amator vllus praeter vnum et illum quidem amabilem Socratem Sophronisci et Phaenaretae filium.

**ALCIBIADES:** Vera dicis.

**SOCRATES:** Nonne dixisti me aliquantulum praeuenisse, cum te salutatum venissem? Nam statuiste te qui prior meipsum conuenires, interrogaresque quamobrem solus ego te non reliquerim.

**ALCIBIADES:** Sic erat.

**SOCRATES:** Haec proculdubio causa, quoniam amator tui solus eram, caeteri vero tuorum. Tua sane labuntur tempore, tu autem nunc primum florescis: ac deinceps quidem nisi ab Atheniensi populo corrumparis, ac turpior euadas, nunquam te deseram. Id enim vehementer timeo, ne amator populi factus, non te corrumparis. Multis enim et ingenuis quidem apud Athenienses id vsu venit. Nam bene personatus est magnanimi Erechthei populus: sed illum nudatum contueri oportet. Adhibe igitur hanc quam dico cautionem.

**ALCIBIADES:** Quam?

**SOCRATES:** Exue illum prius, o beate, ac discite quaecunque scienda sunt antequam tractetur ciuilia, aut rempublicam adeas, ferens tecum alexipharmacum, ne quid aduersi patiaris.

**ALCIBIADES:** Bene mihi dicere videris Socrates, verum conare iam nobis exponere, qua ratione nosmetipsos curemus.

**SOCRATES:** Nonne satis iam a nobis in superioribus definitum est? Quid enim simus, communi consensu definiuimus. Timebamus enim ne in hoc decepti nosipsos forsitan falleremus, alicuius alterius, non nostri curam habentes.

**ALCIBIADES:** Est vt dicis.

**SOCRATES:** Deinde concessum est, animae curam habendam, semperque ad ipsam respiciendum.

**ALCIBIADES:** Manifestum est.

**SOCRATES:** Corporum vero pecuniarumque curam aliis relinquendam.

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Quonam igitur pacto ista perspicue nosceremus, siquidem hoc intellecto nos quoque ipsos intelligimus? an forte per deos Delphicam illam inscriptionem recte monentem, cuius supra mentionem fecimus, nondum intelleximus?

**ALCIBIADES:** Qualem? Quidnam cogitas, quum sic loqueris, o Socrates?

**SOCRATES:** Dicam tibi quid suspicer hanc inscriptionem nobis consulere. neque vero passim eius exemplar, sed in visum solum inueniri posse videtur.

**ALCIBIADES:** Quomodo id ais?

**SOCRATES:** Considera tu quoque si oculo nostro quemadmodum homini consuluisset, Vide te ipsum, quomodo id admonuisse putemus? nonne vt in illud inspiceret oculus, ex cuius intuitu seipsum visurus esset?

**ALCIBIADES:** Constat.

**SOCRATES:** Consideremus itaque in quid potissimum intuentes, illud simul ac nosipsos videremus.

**ALCIBIADES:** Sine dubio, Socrates, In specula, et alia huiusmodi.

**SOCRATES:** Recte loqueris: sed oculo quo videmus, an non inest huiusmodi quiddam?

**ALCIBIADES:** Valde.

**SOCRATES:** Num aduertisti quod facies hominis in oculum intuentis in opposito visu relucet velut in speculo, qua summa vocamus pupillam, simulacrum inspicientis existens?

**ALCIBIADES:** Aduerti.

**SOCRATES:** Oculis igitur ita demum seipsum cernit, cum in oculum inspicit, in idque praeterea intendit quod oculi optimum est, et quo oculus ipse videt.

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** Si autem in aliud quoddam hominis membrum respexerit, vel in quoduis aliud, praeterquam id cuius hoc est simile, haudquaquam seipsum percipiet.

**ALCIBIADES:** Verum.

**SOCRATES:** Oculus ergo cum seipsum visurus est, in oculum respicere debet, atque in eum oculi locum, in quo virtus est oculi. Is autem visus atque pupillae acies est.

**ALCIBIADES:** Sic est.

**SOCRATES:** Eodem pacto et anima, o amice Alcibiades, si seipsam noscere vult, in animam intueatur, in eumque praecipue locum animae, in quo inest virtus animae, sapientia, et in aliud cuius hoc est simile.

**ALCIBIADES:** Mihi quidem videtur, o Socrates.

**SOCRATES:** Num reperire possumus quippiam in anima diuinius illo circa quod intelligentia sapientiaque versatur?

**ALCIBIADES:** Nequaquam.

**SOCRATES:** Id igitur animae diuini simile est, in quod sane quis intuens, et omne diuinum, Deum scilicet et sapientiam cernens, ita et seipsum agnoscet.

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** Seipsum vero cognoscere, prudentiam esse concedimus.

**ALCIBIADES:** Prorsus.

**SOCRATES:** Si autem nec nosipsos cognosceremus, nec prudentes essemus, possemusne nostra, seu mala, seu bona nosse?

**ALCIBIADES:** Quomodo posset fieri o Socrates?

**SOCRATES:** Impossibile tibi forte videtur quenquam qui non norit Alcibiadem, tamen quae Alcibiadis sunt, quod sint Alcibiadis nosse?

**ALCIBIADES:** Impossibile per Iouem.

**SOCRATES:** Nec nostra quod nostra sint, nisi prius nosipsos?

**ALCIBIADES:** Nullo modo.

**SOCRATES:** Si nostra ignoremus, nec ea quae nostrorum sunt, intelligimus?

**ALCIBIADES:** Non, vt videtur.

**SOCRATES:** Non igitur omnino consensimus, cum supra quosdam esse asseremus, qui se ignorantes, sua tamen dignoscerent. Atqui nec ea etiam quae suorum. haec enim cuncta dignoscere, vnius atque eiusdem artis officium esse

videtur, seipsam scilicet, et quae sua sunt, et quae suorum sunt nosse.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** At qui sua ignorat, ignorat itidem et aliena.

**ALCIBIADES:** Quid ita?

**SOCRATES:** Num igitur si aliena, etiam quae reipublicae sunt, ignorabit?

**ALCIBIADES:** Necesse est.

**SOCRATES:** Nunquam ergo vir istiusmodi ciuilis sit.

**ALCIBIADES:** Non certe.

**SOCRATES:** Nec oeconomicus etiam.

**ALCIBIADES:** Neque hoc.

**SOCRATES:** Nec quod agit, intelliget?

**ALCIBIADES:** Minime.

**SOCRATES:** Ignorans autem, nonne errabit?

**ALCIBIADES:** Maxime.

**SOCRATES:** Qui aberrat, an non male aget, et priuatim et publice?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Male agens, nonne miser?

**ALCIBIADES:** Et maxime quidem.

**SOCRATES:** An vero et ii quibus cum haec agit?

**ALCIBIADES:** Et hi quoque.

**SOCRATES:** Nemo itaque felix esse potest, nisi sapiens bonusque sit.

**ALCIBIADES:** Nemo.

**SOCRATES:** Sequitur, vt mali homines miseri sint.

**ALCIBIADES:** Apprime.

**SOCRATES:** Non ergo qui diues sit sed qui prudens, miseria vitat.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Quamobre nec moenibus, nec nauibus, triremibusque, atque naualibus, o Alcibiades, nec multitudine, nec amplitudine absque virtute

ciuitas ad felicitatem opus habet.

**ALCIBIADES:** Non profecto.

**SOCRATES:** Si recte et praeclare ciuitatem gubernaturus es, virtus simul ciuibus tradenda est.

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Num dare quis potest aliis, quod ipse non habet?

**ALCIBIADES:** Qui possit?

**SOCRATES:** Ergo virtute prius ornatus ipse debet esse, quicumque non sibi tantum ac suis, sed reipublicae etiam et iis quae ad eam spectant, imperaturus est?

**ALCIBIADES:** Vera dicis.

**SOCRATES:** Nec igitur principatus, neque licentia quodlibet faciendi aut tibi, aut reipublicae, verum iustitia potius et prudentia comparanda.

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** Iuste enim ac prudenter agetis, et tu simul et tua respublica Deo gratum opus facietis.

**ALCIBIADES:** Decet.

**SOCRATES:** Et sic quemadmodum supra diximus, in diuinum splendorem intuentes agetis.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Quinetiam illuc respicientes vosmetipsos vestraque bona perspicue discernetis.

**ALCIBIADES:** Certe.

**SOCRATES:** Nonne si recte, atque bene agetis?

**ALCIBIADES:** Agemus.

**SOCRATES:** Enimuero fide iubere paratus sum, vos, si ita vixeritis, felices fore.

**ALCIBIADES:** Locuples certe fideiussor.

**SOCRATES:** Contra, si iniuste vixeritis, intuentes in tenebras diuinitatis expertes, consimilia tenebris opera, quemadmodum necesse est, facietis,

vosipsos penitus ignorantes.

**ALCIBIADES:** Videtur.

**SOCRATES:** Cui enim, o amice Alcibiades, potestas adest, quodcunque libuerit faciendi, mente vero captus est, quidnam putas illi continget? siue priuatus ille quidem, siue respublica sit? Veluti si aegrotanti cuidam libera licentia sit rationem medici nullam habendi, sed tanquam tyrannidem exercendi sic, vt nemo hominem abstertere valeat, quid illi euenturum putas?

**ALCIBIADES:** Vera loqueris.

**SOCRATES:** Quid vero si in naui apud quempiam omnis licentia sit, quodcunque videatur agendi, mente tamen et gubernandi peritia careat, num cernis quae ei et sociis euentura sint?

**ALCIBIADES:** Opinor equidem illum et seipsum et vna socios perditurum.

**SOCRATES:** Nonne igitur omni reipublicae omnique imperio et dominationi vbi virtus abest, contingit, vt male agat?

**ALCIBIADES:** Necesse est.

**SOCRATES:** Non ergo tyrannis, optime Alcibiades, aut nobis aut reip. paranda est, sed virtus, siquidem felices esse volumus.

**ALCIBIADES:** Vera dicis.

**SOCRATES:** Caeterum antequam virtus adsit, conducit viro, non solum puero, regi a meliore, quam regere.

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** Nonne quod melius est, idem et pulchrius?

**ALCIBIADES:** Sic est.

**SOCRATES:** Quod pulchrius decentius?

**ALCIBIADES:** Quidni?

**SOCRATES:** Decet itaque malum seruire: melius enim est.

**ALCIBIADES:** Decet.

**SOCRATES:** Seruilis ergo prauitas.

**ALCIBIADES:** Apparet.

**SOCRATES:** Liberalis autem virtus.

**ALCIBIADES:** Ita est.

**SOCRATES:** Nonne, o amice, seruilitas fugienda?

**ALCIBIADES:** Maxime quidem, o Socrates.

**SOCRATES:** Aduertis quomodo te nunc habeas? vtrum libere, an contra?

**ALCIBIADES:** Et maxime quidem, vt mihi videor, hoc sentio.

**SOCRATES:** Nostine quo pacto id quod nunc te occupat, fugare queas? nolim enim istud in claro homine nominare.

**ALCIBIADES:** Noui equidem.

**SOCRATES:** Quomodo igitur?

**ALCIBIADES:** Si ipse volueris, o Socrates.

**SOCRATES:** Haud recte loqueris, Alcibiades.

**ALCIBIADES:** At quomodo dicendum est?

**SOCRATES:** Si Deus voluerit.

**ALCIBIADES:** Dico equidem, atque hoc insuper addo, periculum esse, ne figuras inuicem mutemus, tuam quidem ego induens, tu autem meam. fieri enim non potest, quin ego te deinceps ducam, tu autem a me ducaris.

**SOCRATES:** O generose, nihilo igitur meus in te amor a ciconia differt, si posteaquam prope te velut in nido amorem alatum fouerit, ab illo iterum nutriatur.

**ALCIBIADES:** Profecto sic se res habet, et incipiam hinc iam iustitiam meditari.

**SOCRATES:** O quam te perseuerare velim. Timeo autem naturae tuae diffidens, huiusque ciuitatis vim intelligens, ne ea me simul, ac te vincat.